



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

quàm ex traditione fuerunt decepti: Papias enim (ut scribit Eusebius lib. 4. cap. 14. & Hieronymus in cap. 49. Isaiæ, & 19. D. Matthæi) ex Scriptura malè intellecta Evangeliorum & Apocalypsis, suum errorem deduxit; & Quartodecimani decimā quartā lunā celebrandum esse pascha asserabant, ex eo quod ex Evangelio id apertè colligi putarent, ut docet Polycrates, qui illorum Concilio, seu Synodo præfuit. Sicut ergo ex eo quod plures hæretici ad errores suos defendendos, Scripturā abusi fuerint, propterea non potest dici per Sacram Scripturam ostium erroribus fuisse apertum; ita, imò & multò minus, id per traditiones factum dici potest, quamvis interdum hæretici, Scripturarum autoritate destituti, traditione abutantur, vel eam ad suorum errorum defensionem comminiscantur: *Nihil enim (ut ait Seneca) tam sacrum, quod sacrilegium non inveniat.*

58. Obijciunt ultimò: Eo modo credibile est Apostolos necessariā fidei nostræ dogmata tradidisse, qui videtur magis conveniens ut illa perpetuò in Ecclesia conservarentur pura atque integra: Sed modus tradendi aliqua ex dogmatibus illis vivā duntaxat voce, non ita se habet: Ergo credibile est, doctrinam fidei ab Apostolis hoc modo traditam non fuisse. Major constat, Minor verò probatur: quia impossibile est, vel admodum difficile, ut quod auditione tantum percipitur, integrum contineatur & conserveatur; vel enim qui audit, non satis assequitur quod audit, vel certè postmodum obliviscitur illius, & consequenter minùs incorruptè ipsum aliis tradit. Unde quamvis in lege naturæ Ecclesia tantum traditionibus non scriptis esset innixa, quia tamen successu temporis oblivione ipsas obliterari animadversum est, in lege Mosaica Scripturæ data sunt, ut per illas oblivioni traditionis succurreretur.

59. Respondeo concessā Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico quod licet attentā humanā industriā & curā in conservandis traditionibus non scriptis, vix fieri possit quod non pateant defectui qui obijciunt; quia tamen illæ quibus utitur Ecclesia, Spiritus Sancti providentiā singulari quā regitur ipsa Ecclesia conservantur, non magis timendum est ut pereant aut corrumpantur in tota Ecclesia, quàm scripturæ, utpote quæ si humanam tantum providentiam attenderemus, facile possent etiam corrumpi, imò & omnino destrui. Et certè si traditionem fidei toto tempore legis naturæ absque ullis scriptis conservavit Deus, nunc etiam & scripturas, & traditiones non scriptas, haud difficultius conservabit; ridiculumque est credere, eas non eadem diligentia ac fide posse in fidelium cordibus asserari, ac si in papyro scriberentur; neque enim Scriptura Spiritus Dei vivi, facilius quam scriptura atramenti deletur. Unde falsum est, idcirco scripturas in lege Mosaica fuisse datas à Deo, ut oblivioni traditionis succurreretur, si enim ea solum de causa dedisset eas Deus, illæ omnem doctrinam ad salutem hominum necessariam continerent; quod tamen falsum esse ex eo supra ostendimus, quod nullibi extet in libris Moysis remedium pro peccato originali in feminis, & masculis ante octavum diem. Aliæ ergo causæ illius legis scriptæ fuerunt: nimirum ut ea etiam ratione per se quoque optima, hominum salutem consuleretur. Ut ad plures cognitio celestis doctrinæ, propius imminente tempore legis gratiæ, facilius pervenire possent. Et ut, vel ipsis

Tom. IV.

A Judæis invitis, Ecclesia Christi aliquando copiam eorum doctrinæ haberet, & consequenter ejus autoritate, atque antiquitate, veritatem suorum dogmatum defenderet.



DISPUTATIO III.

De Ecclesia.

E Gimus disputatione præcedenti de duplici regula fidei inanimata & muta, Scriptura scilicet & Traditione, nunc de triplici alia regula animata & loquente nobis superest disputandum; & primò quidem de Ecclesia, deinde de capite ejus visibili, Pontifice Romano, postea de Conciliis generalibus & æcumenicis, universalem Christi Ecclesiam representantibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum Ecclesia universalis sit infallibilis in credendo, & certa regula fidei?

§. I.

Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur.

SUPpono primò, Ecclesiam posse spectari dupliciter: Primò generaliter & latissimè, prout non solum homines, sed etiam Angelos, nec solum viatores, sed etiam beatos & comprehensores complectitur; unde sic accepta definitur, *Societas creatura rationalis, supernaturali cognitione Deo adherens, ejusque vero cultu inter se communicans.* Ubi dicitur primò *societas*, quia Ecclesia in uno solo subsistere nequit, sed ad minimum tres, qui in jure dicuntur capitulum facere, complectitur. Secundò *creatura rationalis*, quo nomine tam Angeli quàm homines comprehenduntur, ambo enim ad corpus Ecclesiæ generaliter sumptæ spectant. Tertiò subditur, *adherens Deo*, quia si Ecclesia Deo non adhereret, esset congregatio prophana & humana, ad instar rerum publicarum hujus mundi, non autem divina & celestis, qualis tamen debet esse Ecclesia, de qua nunc agimus. Quartò subjungitur, *supernaturali cognitione*, in genere, ut sic visionem Dei, & fidem complectamur: Angeli enim in Ecclesia triumphante, Deo per claram ejus visionem adherent, nos autem in militante, sicut & animæ quæ in purgatorio cruciantur, per fidem & ænigmaticam cognitionem. Quintò dicitur, *inter se communicans*, ad societatem quippe non sufficit sola multitudo, sed insuper requiritur aliqua communicatio, ut nimirum unaquæque pars alteri pro suo modo & conditione communicet; unde in damnatis, quamvis sit multitudo, non reperitur tamen vera societas, quia non sunt inter se uniti, neque muris officiis inter se communicant. Postremò subditur, *vero Dei cultu*, quia communicatio quæ est inter Ecclesiæ membra seu partes, maximè penes verum Dei cultum attenditur, Ecclesia enim nomen est religionis, significans societatem eorum qui ad Deum colendum vocati sunt.

Ecclesia sic generaliter & latè accepta, variis

Kk ij

habuit & habet adhuc status: alium enim statum habuit in lege naturæ sub Patriarchis, alium in veteri testamento sub Sacerdotibus, Levitis, & Prophetis, & alium habet nunc in lege Evangelica sub Christo & Apostolis, & Pontifice Romano à quo regitur. Item alium habet statum in terris, ubi contra hostes pugnat, & spirituales militiam exercet, unde militans nuncupatur: alium in purgatorio, ubi igne probatur, & à reliquiis peccatorum purgatur, unde patiens dicitur; alium in cælo, ubi sponso fruatur, & de superatis hostibus victoriam celebrat, à quo triumphans appellatur. Una tamen propterea esse non definit; non secus ac homo, licet alium statum in pueritia, alium in virili ætate, alium in senectute habeat, idem numero censetur.

Præter hanc generalem Ecclesiæ acceptionem, est alia strictior & angustior, quæ consideratur sub statu quem in lege Evangelica à Christo Domino accepit, sicque definitur à Banne hic art. 10. & cæteris aliis: *Societas visibilis fidelium baptizatorum, sub uno capite Christo in cælis, & Vicario ejus in terris, inter se eodem cultu communicantium.* Quæ definitio sufficienter manet explicata ex dictis in præcedenti.

Suppono secundò, Ecclesiam hoc secundo modo acceptam, visibilem esse, Ecclesia enim in terris est essentialiter societas non Angelorum neque animarum, sed hominum: non autem dici potest societas hominum in terris, nisi externis & visibilibus signis consistat, quia non est societas, nisi se agnoscant qui dicuntur socij: non autem se possunt homines agnoscere in statu viæ, nisi societatis vincula sint externa, atque adeò visibilia. Adde quod Matthæi 5. Ecclesia comparatur civitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest. Et Isaïæ 2. de ea dicitur: *Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes.* Quæ testimonia Augustinus Tract. 2. in Joan. de Ecclesia explicat, concludens his verbis: *Quid amplius dicturus sim, quam cæcos qui tam magnum montem non vident.* Item Psal. 18. *in Sole posuit tabernaculum suum:* id est (inquit ibidem Augustinus) *in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto.* Quod confirmat Epist. 166. ad Donatistas, dicens: *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, id est in manifestatione, omnibus nota, usque ad terminos terre.*

Dices, Quod credimus, invisibile est: Sed Ecclesia à nobis creditur, quandoquidem dicitur in Symbolo, *Credo Ecclesiam:* Ergo illa non est visibilis.

Verùm huic instantiæ facillè respondetur, quod sicut in Christo erat aliquid quod videbatur, nempe ejus humanitas, aliud quod credebatur, nempe ejus divinitas; & sicut in baptismo videmus externam aquam & abluionem, credimus autem internam vim regenerandi, & peccata ablundi. Ita in Ecclesia est aliquid quod credimus, & aliquid quod videmus: credimus enim eam regi à Spiritu Sancto, extra eam nullum posse salvari, & similia; videmus autem congregationem hominum exterius Deum colentium, & fidem sub uno visibili Pastore profitentium. Itaque licet fides interna & sanctitas, quæ est præcipua forma Ecclesiæ, quæ est in multis membris, non videatur, videtur tamen Ecclesia per suas notas externas, illa non visâ; sicut videtur homo per externa accidentia, non visâ animâ.

Suppono tertio contra hujus temporis hære-

aticos, Ecclesiam non solum ex prædestinatis, sed etiam ex reprobis constare: Christus enim in Evangelio Ecclesiam suam comparat sagemæ misceam in mare, & ex omni genere piscium congreganti, aræ in qua palea & triticum simul reperiuntur; agro in quo bonum semen & zizania admixta sunt; convivio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt; decem virginibus, quarum quinque prudentes sunt, quinque fatuæ; ovili, in quo reperiuntur oves & hædi. Demum Apostolus 2. ad Timoth. 2. Ecclesiam comparat magnæ domui, in qua sunt diversa vasa, quædam in honorem, alia in contumeliam.

De Ecclesia ergo Christi, quæ in terris est visibilis & conspicua, constansque ex reprobis & prædestinatis, inquirimus, an sit infallibilis in credendo, subindeque certa & infallibilis regula fidei, vel possit errare, sive sentiendo, sive proponendo aliquid fidei contrarium. Quod ut magis declaretur,

Notandum est, dupliciter intelligi posse Ecclesiam errare in fide. Primò, culpabiliter incidendo in hæresim, vel errorem culpabilem. Secundò inculpabiliter, errando cum ignorantia invincibili. Prior errandi modus pejor est, & fidem plane destruit, ideòque Ecclesiæ magis repugnat quam posterior; uterque tamen ab illa removens est; ad refellendum errorem Lutheranorum & Calvinistarum, docentium Ecclesiam visibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem & religionem, postea errasse credendo, & credenda proponendo quæ non erant fidei, & multis sæculis usque ad tempora Lutheri in errore persistisse, Contra quam doctrinam sit

§. II.

Duplici conclusione Lutheranorum & Calvinistarum error refellitur.

Dico primò, Ecclesiam universalem non posse errare culpabiliter in fide.

Probatur primò conclusio duplici celebri Scripturæ testimonio. Primum habetur Matth. 16. ubi Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Ubi per portas inferi significatur Dæmonis potentia & astutia, quæ maxime in disseminandis hæresibus & erroribus versatur: Ergo Christus verbis illis apertè in sinuavit, nullas hæreses adversus Ecclesiam super Petram fundatam prævalituras. Unde Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. 6. *Pugnare potest, expugnari tamen non potest: hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite præcisâ; ipsa autem manet in radice sua, porta inferi non vincet eam.*

Secundum testimonium sumitur ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. ubi sic ait: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivî, firmamentum & columna veritatis.* Ubi Ecclesia in primis appellatur *Domus Dei viventis*: absurdum autem est, domum illam in qua Deus inhabitat, & quam suâ præsentia jugiter illustrat, errorum sordibus & tenebris contaminari & obscurari. Deinde dicitur *columna & firmamentum veritatis*: columna, quia sustinet & sustentat veritatem, cum nihil sentire & credere contra veritatem possit: firmamentum verò, quia præ sua in definiendo infallibilitate, veritatem ipsam firmat & statuit.